



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 38. Quomodo sensilium obiectorum priuationes cognoscantur,
ad tex. com 39.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

aurem vix aspectabile, quando aliquod quidem, sed tenuissimum, lumen habet; vt in non tan-
topere obiecta nocte, vel circa matutinum aut ves-
perinum crepusculum. Quae posterior interpre-
tatio magis est Aristoteli consentanea. Nam in
textu 96. 103. & 120. cum aspectum dicit aspecta-
bilis, obiecti esse & inaspectabilis, auditum audi-
bilis & inaudibilis, odoratum; odorabilis & inodo-
rabilis, eodemque modo reliquos sensus: inaspe-
ctabile, inaudibile, & inodorabile multis modis
dici posse declarabit. Aut enim id dicitur, quod
nullo modo aspicitur, audiri, & odorari potest,
quod nullum habeat lumen aut colorem, nul-
lum sonum, aut odorem: aut id, quod aegre & vix
sensibus hinc percipi potest. Hocque rursum duo-
bus modis: aut quod paruum & prauum odorem
habeat, sonum, aut colorem: aut quod nimium sit
vehemens, neque a sentiente virtute sustineri facile
queat, quemadmodum eximia solis lux, aut vehe-
mentior quispiam sonus, aut odor. Horum enim
vtrumque obiectum inaspectabile dicitur, aut in-
sensibile; quoniam aut illius motum omnino non su-
stinet sensus, aut non sine difficultate sensusque lae-
sione sentitur. Quod si ita est, ad rem presentem
pertinet perspicuum sine colore, hoc est sine lu-
mine, interpretari inaspectabile primo modo, quod
nullum habeat lumen; aut vix aspectabile postero-
re illo modo, quod paruum addit lumen. Tertius
autem ille, quo id aspicitur non potest, quod nimio lu-
mine sentientem virtutem superat; ad perspicuum
potestate non pertinet, sed ad illud, quod actu est
per lumen: nunquam de perspicuo potestate sermo
est: atque hoc est inaspectabile ex sua natura, & te-
nebrosum. Nam cum lucis & tenebrarum capax sit,
interdum illuminatum est, interdum tenebrosum;
interdum actum interdum potestate. Sed sine lumen
habeat, siue tenebras; siue actu sit, siue potestate;
eadem semper est ipsius natura.

Porro hoc loco non possum non monere lecto-
rem veritatis studiosum, vt hanc Philosophi dem-
strationem obseruet; ac indicet, num in visione a-
liisque sensibus intentionales ipse formas posuerit.
Demonstrat debere colore carere id, quod colores
debet suscipere, siue medium sit, siue organum; eo-
demque modo in alijs sensibus. Medium demon-
strationis est, colores suscipere. Tam si suscipiantur
colores intentionales, quatuor terminis demon-
stratio constabit: si quidem medium supponit pro colo-
re intentionali, & conclusio pro colore reali, eritq;
fallacia dictionis. Optima vero demonstratio; si
vbiq; sit sermo de colore reali; qui & in medio per
motum ab obiecto factum, & in organo per cogni-
tionis actum suscipiatur.

DIGRESSIO XXXVIII.

Quomodo sensuum obiectorum priuationes cognoscantur.

Quoniam Philosophus tenebrosum perspi-
cium inaspectabile esse affirmavit, aut cer-
te si aspicitur, aegre & vix aspicitur: locus postu-
lat, vt paucis declararetur, quomodo tenebrae ac
reliquae obiectorum sensuum priuationes cognos-
cantur.

A Per se quidem eas non sentiri, manifestum est.
Tum quia ita facultates per actus & obiecta con-
stituantur & distinguuntur, vt adequatum realis
facultatis obiectum, extra quod nihil ipsa cognos-
cat, reale ac positium esse oporteat. Tum quia
sola ea per se sentiuntur, a quibus patitur sen-
sus & mutatur: a priuatione autem, quae est non
ens, pati & mutari plane non potest. Ex acciden-
te igitur cognoscuntur; Quatenus sensus a proprio
obiecto non mouetur. Propterea cum hanc qua-
stionem proposuisset Priscianus in librum Theo-
phraiti de anima cap. II. Respondendum est, in-
quit, sensum non tam sentire quam consentire, neq;
initi siquae talibus, sed ex eo, quod in his actio in-
hibetur, in ipso conatu sensum iudicare quod deficit
ipsis, & capite vigesimo, tenebrae non sunt visi-
biles.

B Non enim sentimus eas quopiam intuitus firma-
mento; sed priuatione cernendi; atque eo, quod
minime videamus. Hoc a singulis sensibus animad-
ueri, eorumque vnumquemque obiecti sui ab-
sentiam & priuationem cognoscere, interpretari
sunt Themistius, Philoponus, & Simplicius, cum
hoc locutum in Com. ad tex. 96. 103. & 138. & Philo-
ponus etiam in Commentario tex. 106. & 107. Sed
Aristoteli partim & rationi minus consentaneae.

C Namque Aristoteles dum in libro de Somno & Vi-
gilia, capite secundo, ita loquutus est: Quoniam
autem existit secundum vnumquemque sensum,
hoc quidem aliquid proprium, illud vero aliquid
commune: proprium quidem, vt visui videre, au-
ditui audire, & alijs eodem modo. Est autem &
quaedam communis facultas sequens omnes, qua
& quod videt & audit, sentit. Non enim visui
quidem videt quod videt, & iudicat vtrique, &
potest discernere, quod alia quidem dulcia sunt
ab albis, nec gustatu, nec visu, nec ambobus,
sed communi quadam particula omnium sensorio-
rum. Plane affirmavit, nos non particulari sensu, sed
communi; cognoscere nos videre aut audire.

D Duplicem namque distinguit communis sensus
actionem; quae a particularibus sensibus nequeat
proficisci. Altera est, cognoscere illorum sen-
suum operationem: Altera, obiecti sui a reli-
quorum sensuum obiectis differentiam animad-
uertere. Si igitur nos videre & audire atque om-
nino operari, non particulari sensu, sed com-
muni cognoscimus, eodem quoque, non par-
ticulari aliquo, cognoscemus nos non videre
aut non audire, aut penitus non operari. Quo-
circa si propterea tenebras aut cuiusvis obiecti
priuationem cognoscimus, quod cognoscimus
nos non videre, neque omnino sentire: Id sane
non particulari aliquo sensu, sed communi cognos-
cimus.

E Quod etiam illud spectet, quod in cap. I. eiusdem
libri, somnum & vigiliam ad communem sensum
pertinere hoc argumento probauit, quoniam haec
velut priuatio & habitus opponuntur, oppositaeque
in eodem versantur & fiunt.

Sed & ratio necessaria demonstrat, sentientem
nullam facultatem, quippe quae materialis sem-
per sit & quanta, posse in seipsam redire, vt se
operationemque suam cognoscat: sed hoc solius
intellectus aut separatarum mentium, quae nullum
habent cum materia & quantitate commercium, esse
proprium.

Quomodo priuationes ex accidentis sentit.

cc
cc
cc
cc

Comunis sensus operatio duplex.



Neque igitur aspectus, neque auditus, neque vis alius particularis sensus animaduertere potest, nisi operetur aut non operetur. Hoc enim conuersionem supra seipsum significat, atque ad aliam pertinet facultatem. Et quoniam obiecti priuationem non percipimus, nisi dum nos non moueri ab obiecto neque circa illud operari animaduertimus: ea plane non fuerit operatio illius sensus, cuius proprium est illud obiectum, sed facultatis alterius. Non alterius particularis sensus; quoniam nulla eiusmodi facultas proprii sui obiecti limites excedit: sed superioris alicuius virtutis. Aut communis sensus, ut credere visus est Aristoteles, & in Commentar. 149. affirmant Averroës. Quoniam is communis est iudex, tum obiectorum, tum actionum inferiorum sensuum: qui dum eos nequaquam ab obiecto illorum proprio moueri animaduertit, coniectura potest atque ex accidente absentiam & priuationem illius cognoscere.

*Prima-
tio-
nes
intellectus
cognoscit.*

Aur intellectus potius: tum quia modus hic cognoscendi priuationes obiectorum per habitum rationationis habet manifestam, quae cum aliqua, licet breuissima, mora perficitur. Ea verò est hæc; oculos apertos habeo & erectas aures atque utrumque organum bene affectum, nec cerno quidquam aut audio; non est igitur mihi præsens lumen aut sonus. Tum quia sentire est quoddam pati; neque communis sensus pati aut operari potest, nisi dum patitur & operatur proprii. Quare si absente obiecto proprius sensus non petatur, neque is, qui communis est, cognoscere poterit, eum, qui proprius est, non operari. Quam ob causam Philoponius in textu 103. coactus ab externo ad internum sensum cognitionem eam traducere, quoniam externi operatio in eo solum est, quod ab obiecto patitur; dumque non patitur, operatione caret: ad phantasiam potius traduxit, quæ absente quoque obiecto & externo sensu non operante operari potest.

*Bestias
prietatis
non om-
nia non
cognos-
cent.*

Sed necessariò conficitur, solius hominis, qui ex animalibus omnibus solus ratiocinatur, propriam cognitionem hanc esse: bestiarumque quæ solum præsens obiectum sentiunt, sentire se cognoscere continui sensu operante: atque hoc duntaxat memorato loco Philosophus affirmavit. Quod si renouatur obiectum, nihil sentiunt, nec omnino quidquam operantur, neque se non operari animaduertunt; sed in sola negatione versantur. Quod enim sæpe vsurpari solet, eandem contrariorum facultatem esse, de veris & posituius contrarijs intelligendum est. Quoniam cum facultas per operationem & obiectum constituitur, solum operationem & obiectorum posituum respicit.

*Vis
sensu
prietatis
cognos-
cent*

Quamquam etiã quoquo modo affirmare licet, particularem quoque sensum obiecti sui priuationem cognoscere: quatenus intellectus non sine illo, quin eo potius concurrente, cognoscit. Dum enim intellectus animaduertit sensum non moueri, absentiam & priuationem obiecti intelligit. Ita accipias illud, aspectum esse aspectabilem & in aspectabilem, auditum audibilem & inaudibilem, ceterosque sensus eodem modo. Quamquam isdem in locis exponitur, sensibile & insensibile, ut dictum est, duobus modis nominari; aut id, quod omnino sentiri nequit, quod meram priuationem sensus obiecti significet, aut id, quod ægrè & non sine lesione sentitur, quod nimis vehemens sit, aut parum & prauum

coloris alterius obiecti habeat. Nam & in 1. lib. tex. 20. immobile, tum id dicitur, quod per se non mouetur, tum id, quod ægrè moueri potest. Quare tenebras dicit in textu 33. exiguum lumen & corpus per parum splendidum vixque aspectabile, & silentium exilium sonum & vix audibilem, & in gustabile paruum & prauum saporem. Et textu 100. intactile, quod paruum omnino habet differentiam tactilis qualitatis; quemadmodum, inquit, est. Hæc enim omnia exteriori sensu, etiam ægrè, percipiuntur. Et rursus eodem modo intelligas id, quod est in textu 138. cum aspectum non videmus, nos discernere & tenebras & lumen, sed non eodem modo. Lumen namque cognoscit aspectus per se & propria operatione, dum ab eo præsentem mouetur. Tenebras autem quatenus dum a lumine non mouetur sensus, intellectus obiecti eius absentiam & priuationem ratiocinatur. Idcirco enim non ait nos videre, sed visum percipere lumen & tenebras. Lumen videmus, tenebras visum percipimus; intellectus ratiocinante, dum visum non operante animaduertit. Tenebra cognoscitur, inquit Simplicianus in tex. 133. non mouendo visum delictantem & videtur tentantem.

TEXTVS.

Quod non omnia sunt aspectabilia sunt, sed solus cuiusque proprius color. Quædam enim luminis quidem non videntur, in tenebris autem faciunt sonum: ut quæ ignea videntur, & lucida. In materia autem sunt hæc uno nomine, ut sanguis, cernis, caput piscium, & squamæ, & oculi. Sed nullus horum videtur proprius color.

COMMENTARIVS XCIV.

Dum in textu 66. de aspectu dicere ageretur, est duplex distinctio aspectabile obiectum: alterum appellauit colorem, alterum inuocatum esse dixit; sed post de eo seorsum dicendum esse post coloris explicationem. Ergo de priori obiecti genere; de colore inquam, tum prædicto, tum lumine, quod color quidam est, & verò etiam de perspicuo, quod & luminis aspectum est, & medium ad colorem videndum, istenus differuit. Nunc de altero illo dicere aggreditur, quod vna voce nominari non potest.

Et quoniam in textu 67. colorem posuit in lumine aspectabilem non esse, sed omnem eamque colorem in lumine aspicere: ab hac eadem propositione exordiens, ut ad aliud aspectabile genus transeat; Non omnia, inquit, aspectabilia in lumine aspectabilia sunt, sed solus cuiusque coloris proprius color. Quædam enim sunt, quæ exteriori lumine collustrata non cernuntur, sed

in tenebris duntaxat : & ideo nocte, non die, videntur. Quoniam exiguum & perennem habent lucem, quæ sibi quidem sufficiens est, vt videatur; sed & quavis maiore adueniente luce offuscatur (vehementior enim animæ motus imbecilliosem offuscatur) & alia nequaquam potest ipsa facere aspectabilia. Huius generis sunt fungus, cornu, squama & capita quorundam piscium, & oculi; adde etiam cicindellas ignitæque omnia & noctu lucentia. Quæ vno communi nomine appellari nequeunt vniuersa, sed singula commemorare oportet.

Themistius verò ea dixit aut omnino colorata non esse, siquidem coloris proprium est mouere perspicuum actu illuminatum: aut alio, quàm cætera corpora, coloris genere prædita. Quæ verba vereor, ne & contradictionem contineant, & cum Aristotele parùm consentiant. Namque si coloris proprium est mouere perspicuum actu; conueniet id omni colori: siquidem ex generali & vniuersa coloris natura proficiscitur. Quis igitur alius color sit sine lumine aspectabilis? Certè Philosophus & colorem omnem definiuit motuum esse perspicuum actu; & hæc, quæ sine lumine videntur, prorsus nunc à calore separat: vt & nullus illorum proprius sit color; & non propterea videant, quòd colorata sint (egerent enim externo lumine) sed quòd ignea & suapte natura lucentia.

Vnde triplex omnino esse diximus aspectabilis obiecti genus. Vnum est id, quod coloratum est, quòdque sine extremò lumine non videtur. Color enim interdiu solum videtur, non noctu. Alterum est perspicuum actu, quod eam solum ob causam cernitur, quòd externo lumine illuminatum sit. Tertium, quod igneum est aut lucidum; hoc est quod propriam & insitam sibi lucem habet. Atque hoc rursus est triplex. Vnum, quod maxima planè luce præditum est; quòd ideo extremò lumine non indiget, nec tamen noctu videtur, sed solum in die, vt sol, quòd is dici quoque parens sit & auctor. Alterum, quod moderatam magis habet lucem, quæ tamen & ipsa lucere potest in tenebris, & externo lumine non facile offuscatur & occultatur: vt ignis & luna & astra quaedam, vt lucifer.

Atque hæc, tum in lumine, tum in tenebris, & die & nocte, videri possunt; vt de igne apertis verbis in textu 74. dicitur. Tertium, quod tenuissimam habet lucem, quæ nocte solum & in tenebris conspicitur. Cuius generis ea sunt, quæ hoc loco Philosophus notinauit. Inter quæ non ignem, sed ignea commemorauit: quoniam ignis magnopere lucescit, nec in tenebris modo, sed & in lumine quæ autem ignea sunt, vt ignis lucem habent, non integram, sed participatam; ita parùm & solum in tenebris conspicua sunt. Habent enim tantum lucis, vt ipsa cerni possint; at non tantam, vt circumiectum illuminent aërem; quemadmodum ignis & lucida cætera, quæ maiorem lucem habent. De his tamen omnibus verè affirmare licet, præter colorem reliqua omnia sibi ipsis causam esse, vt videantur: & ideo in tenebris quoque videntur, quia lucida sunt.

Appositè autem quarit Simplicius, quomodo Aristoteles solum colorem dixerit in lumine videri; siquidem illuminatum quoque perspicuum videatur. Adde etiam ignem, solem, lunam, & hu-

A iusmodi corpora, quæ lucem maiorem habent, non colorem vllum. Mitto parùm accommodatas latinorum quorundam responsiones: sanè Simplicius de colore præsertim id fuisse dictum respondit, quòd is videtur tanquam aliquid à lumine distinctum; non item de perspicuo, quia cum ipsius actus sit lumen, non videtur tanquam aliquid distinctum à lumine. Et ideo cum potius cernitur quam in lumine. At luna quoque sol, & ignis, vt in textu 74. fatebitur Aristoteles, & in lumine videntur, & non tanquam colorata; sed tanquam lucida; à lumine tamen distincta. Itaque verius admonuit Philoponus, propositioni illi addendum esse (solum) atque hoc modo ententiandum; solus color in lumine solum videtur: atque ita nunc habent exemplaria Græca. Ignis autem & luna in lumine quidem videntur; non tamen in lumine solum, sed in tenebris.

De sole porò, qui colorem non habet, nec tamen nisi die videtur; aut dicendum est, cum esse in tenebris quoque & noctu aspectabilem esse, quia semper lucidus est: quòd si noctu non aspiciatur, ex accidenti esse; quoniam tantam habet lucem, vt omnino tenebras pellat, secumque adducat diem. Aut cum Philopono affirmandum; cum esse aspectabilis quoddam genus ab alijs omnibus diuersum: neque in tenebris videri, quòd ipse tenebras pellat; neque interdiu, quòd ipse sit diem efficiens causa.

TEXTVS.

Δι' τῶν ἁπλῶν αἰσθητῶν ὁμοῦ δεικνύται, ὁμοῦ δὲ ἴσως.

Propter quam igitur causam hæc videntur, alia ratio.

COMMENTARIVS XCIV.

Q uadam esse dixit, quæ nocte duntaxat & in tenebris luceant sintque conspicua. Cuius rei nullam exposuit causam, sed nec omnino vult hoc loco exponere; verùm in alium reijcit: nimirum, vt Themistio placet & Philopono, in librum de sensu & sensibili. Causa autem est, quòd exile habent lumen, quòd etsi non possint circumiectum aërem illuminando reliqua quoque conspicua facere, se ipsa tamen manifestant: hocque solum in tenebris; quoniam maiore diurno adueniente lumine lux illorum exigua occultatur: sicut & lux stellarum, quæ noctu lucebant. Noluit autem in hac explicanda causa nunc immorari; ne coloris tractationem interturbaret, neque à præcipuo aspectus obiecto ad hæc pauca, quæ vix & rarò videntur, digrederetur. Satis illi fuit ea commemorando, significare sub aspectus obiecto contineri, & quantum contineantur, quòd modo à colore distinguantur, indicare: quòd scilicet in tenebris solum videantur, color in lumine.

Hæc est communis horum verborum interpretatio. At num fortasse accommodatior sit altera; viderint sapientiores. In lumine dixerat proprium cuiusque colorem videri, quia color

H h h ij

Cur quædam in tenebris solum in prospectantur.

COMMENTARIUS XCVII.

Democritus eam habuit de visione sententiam, ut in ea perficienda minime crederet medium vllum inter aspectum & coloratum obiectum esse necessarium. Quin potius affirmabat, si totum hoc spatium, quod inter nos & caelestia corpora aere & igne plenum est, remotis illis fieret vacuum; fore nihilominus exquisitè, immò acutiùs & exactiùs cerneremus, quod libèrque vel minimum corpus & verò etiam formicam in caelo positam conspiceremus. Nam cum certum sit, quotidianaque experientia comprobatum, obiectum quò magis distat à nobis, eò minùs videri: si formicam nunc aut etiam grandiora corpora paulò longius distita non videmus, & caelestia astra propter loci distantiam tam parva nobis apparent, tamen si in mensam planè habeant molem: tunc autem factò vacuo formicam in caelo sitam exquisitè cerneremus: omnino consequens est, acutiùs multò & probiùs omnia tunc viliùs iri, quam nunc videantur.

Hanc opinationem Democriti reprehendere fallamque esse demonstrare libuit hoc loco Aristoteli, quòd veritati & sententiae prorsus aduersare turbae. Necessarium enim esse dixerat, ut colore mouetur medium peripicuum, hoc est aër; atque hoc vique ad oculum continuatò moueatur sensus. Ad hunc igitur modum ratiocinatur. Ut obiectum quodpiam videamus, sensum aliquid pati oportet, quoniam ut antea ostensum est, sentire pati quoddam est, moueri, & alterari; siue re ipsa, ut in ceteris materialibus magis sensibus; siue intentionaliter, ut in aspectu; hoc aut speciei susceptione in oculo, aut sola obiecti aspectabilis praesentia, qua excitarur sensus atque ad operandum trahitur. Aut igitur à colore ipso, qui cernitur, moueri oportet, aut à medio: colore moueri non potest immediate & proximè (hoc enim subintelligendum esse verè Simplicius admonet). Quia non solum non tangit, sed minimum omnino distat, si ponatur in caelo. Immo si tangeret atque oculo admoeretur, omnino non videretur. Necesse igitur est, ut immediate moueatur à medio, ut ita dici possit à calore quoque alterius interuentu moueri.

Itaque hic erit in visione ordo mouentium, & eorum quae mouent. Aspectabile obiectum est primum mouens, quòd non mouetur: aspectus vltimum, quòd mouetur & non mouet: medium peripicuum & mouetur & mouet. Idcirco ut fiat visio, id quod inter aspectum & colorè est, plenum semper esse oportet. Hoc enim est, quòd ait (quare necesse est aliquid esse mediũ; hoc est id, quòd est medium, esse aliquod corpus plenum) neque in vacuo quidquam videretur. Tantum abest, ut acutiùs cerneretur, quam in pleno; aut etiam formica in caelo exquisitè conspiceretur, quam nunc paululum distantem non videmus.

Sane Philosophi hanc argumentatio notissimo illo principio nititur; Omnis actio per contactum fieri debet. Siue igitur sit actio in aliud transiens, ut actio ignis in lignum; siue in eo ipso quòd operatur remanens, ut visio & omnino sensus; cõtractus agentis & patientis, quòd actione suscipiat; siue agentis & obiecti, circa quòd agit, quòdque illius actionem terminat, opus est. Eoque duplici: altero quidem

A virtutis, qui agnoscitur in eo, ut subiectum siue obiectum agentis sphaera contineatur. Nam vnum quodque agens, ut finitam agendi virtutem, ita & determinatam distantiam habet; ad quam illius virtus ita se potest extendere, ut ultra eam non possit. Neque ignis calefacere potest nisi ad certam distantiam, neque aspectus quantumcumque distitum obiectum cernere. Altero autem supposito: tum & quantitatim, sine quo virtutis contactus non est. Itaque veratur in eo, ut agentis & patientis, seu agentis & obiecti, extremitates sunt simul, aut immediate, aut certè alio interiecto corpore. Quemadmodum cum ignis tangit aërem, & aër lignum, quòd calefit, aut oculus aërem, aërique coloratum parietem, qui videtur. Siue igitur coloratum obiectum agat in oculum sui speciem immittendo, siue aspectus circa illud operetur, ablato aëre medio factoque vacuo nulla erit visio. Quoniam si obiectum immittit in oculum oporteat speciem sui, nihil est, in quo ea suscipiatur, ut ad oculum transmittatur. Sed aut statim euanescit & perit in vacuo, aut potius omnino non producit, quia nihil est, ex cuius potestate educatur, aut in quo suscipiatur. Sicut nec in tenebris producit, quòd in solo perspicuo illuminato produci queat. Eandem ob causam nec lucida corpora nec astra viderentur.

C Quòd si aspectus non suscepta sui obiecti specie in oculo, sed proposito duntaxat obiecto circa illud operetur, nihil magis cernit in vacuo. Vacuo namque factò contactuque supposito rum sublato, virtutis item contactus tollitur, atque impeditur, ne ad obiectum pertineat. Quippe certissimum est illud Philosophorum omnium axioma, Nihil operatur vbi non est. Nam quia operatio virtutem operandi consistit, haecque rursum essentiam ipsam cuius est virtus, vbi non est essentia, aut immediate, aut mediata, nec virtus esse nec potest operatio. Quocirca cum vacuè praesentiam tollat omnemque praesentiae & suppositi contactum, virtutis quoque contactum tollit omnemque operationem prohibet. Tantum abest, ut vtiuer ceteriorumque & acriorum faciat, ut Democritus assererebat. Atque hinc efficacitas intelligitur Aristotelice aduersus ipsam disputationis.

DI GRESSIO XXXIX.

Naturalem omnem actionem contactu perfici.

Longioris hanc disputationis occasionem praebent. Agentis enim & patientis contactum in omni actione necessarium esse, tum hoc loco Philosophus accepit, tum alibi saepe. Nam in Phys. lib. à tex. 10. mouens & mobile demonstrat simul esse oportere ut fiat motus. Et in tex. 82. hb. 3. propterea miratus est, quomodo proiecta corpora non tangente primo mouente moueatur. Atque ut cetera mittam, in priore lib. de ortu & interitu tex. 43. 44. 45. & 78. id ex instituto & vniuersè constituit.

At non defuerunt qui secus sentirent, nec Democritus modo, sed & Plotinus in lib. de dubijs animae vel de visione, & Alexander peripateticus Auerrois & Alberti testimonio 2. lib. de caelo t. 24.

FFF

Qui est saltem negationis